

DE

**M. ANTONII MURETI**

IN REM SCHOLASTICAM MERITIS ET DE VIA AC RATIONE TRADENDARUM DISCIPLINARUM AB EODEM COMMENDATA.

---

SCRIPSIT

HENR. GUIL. ABRAH. DE MARÉES.

M. AZTÓN MIRETTI

INSTITUTO VENEZOLANO DE INVESTIGACIONES CIENTÍFICAS  
CARRERA DE INGENIERÍA EN ELECTRICIDAD

TRABAJO FINAL DE GRADUACIÓN

---

Quid doctissimi atque sapientissimi omnium aetatum viri de re scholastica senserint ac judicant, quibusque rebus et qua ratione iidem pueros putaverint instituendos exquirere, videtur esse haud mediocris momenti. Neque enim ullo alio modo non solum, quas quaeque aetas literas habuerit scitu dignissimas, qualesque progressus ad humanitatem atque ingeniorum culturam fecerit, certius cognoscere possumus, sed etiam, quae via inveniunda sit iis, qui ad insigniorem eruditionis laudem adspirent. Nec dubium est, quin rationis, quam veteres in docendo secuti sunt, scientia hodie literas tradentibus nonnihil utilitatis sit allatura; nam, etsi natura ita facti sumus, ut ad nova et perfectiora semper nitamur, tamen etiam ad vetera regrediendo nonnumquam progredimur.

Cum autem gravior meliorque hoc quidem in genere dux et auctor non facile inveniri possit, quam M. Antonius Muretus, cui consentiente aequalium suorum, Paul. Manutii, Justi Lipsii, J. C. Scaligeri iudicio eruditionis ac prudentiae palma atque principatus defertur, operae pretium videtur perquirere, quid hic vir de puerorum institutione cogitaverit et praeceperit.

Antonius Muretus, si quisquam alius, de omnibus ad hanc rem pertinentibus intelligenter atque subtiliter judicare poterat. Quantum enim universae antiquitatis atque disciplinarum humanitatis peritia floruerit, quamque his literis limatum ac perpolitum ejus fuerit ingenium, satis superque libri ejus testantur, qui duo saecula amplius etiam nunc cum ob rerum copiam et sententiarum gravitatem, tum ob scribendi elegantiam lectione atque studio videntur dignissimi. Cujus rei firmum hoc habemus documentum, quod eruditissimos nostrae memoriae viros, sepositis paulisper scriptoribus classicis, novas operum Muretinorum editiones curare non piguit, quo Muretus quasi civitati classicae est adscriptus. Et meritissimo quidem,

nam omnium proxime accessit ad illorum, imprimis Ciceronis, praestantiam, quare certus et luculentus auctor Frid. Aug. Wolfius eum jure appellat nostrorum temporum Ciceronem. Praef. ad Var. Lect.

Qua in re mirum videri potest, quod, cum tam multi homines Mureto ingenio non inferiores, studio et industria pares, Ciceronis genus scribendi imitando effingere eique quam simillimi fieri studuerint, admodum pauci, quod tantopere optabant, consecuti sunt. E veteribus Plinium Minorem, e posterioribus P. Manutium, e recentioribus Ernestium summa cum laude prosperoque successu in hoc genere elaborasse constat, sed nemo illorum Muretum aequare potuit. Alii de verbis magis quam de rebus solliciti, quos Muretus saepe irridet, quod Nizolium in unaquaque voce consulendo sperabant, se ad similitudinem quandam Ciceronis accessuros esse, majorem haud dubie, quamquam vanam, operam atque laborem subierunt, quam Muretus. Sed hunc praeter studium adjuvabat singulare quoddam naturae, quae una creat et fingit bonos imitatores, donum, cujus ope eo pervenit, quo aliis non licuit. Intercedit enim inter hominum quorundam ingenia mira communio naturalis, ut alter alterum non nova docere, sed jam ante cognita ei in memoriam revocare videatur. In hac arcta utriusque indolis cognitione non opus fuit Mureto voces et loquendi formulas memoriae imprimere, sed sine ullo nisu et contentione sensu sponte influebat, penitusque se insinuabat in ejus animum omnis Ciceroniana orationis color et imago. Hinc factum est, ut interdum singulis quidem vocibus, praesertim iis, quae numerose cadunt, ut oscitantia, disceptantia, figmentum protector, proseminator, elucesco, depraedico, rarissime verborum comprehensionibus et universae orationis habitu filoque a Ciceronis exemplo aberraret. Sunt quoque fortasse, qui magis grammatice loquantur Mureto, qui magis latine, sane nemo; aliud enim est, iudice Quinctiliano, latine, aliud grammatice loqui\*). Hujus similitudinis a natura potius, quam a contentione profectae vestigia ubique apparent, etiam in iis, quae plus reprehensionis, quam laudis videntur habere. Sicut Cicero in hominibus, ut Gracchis, Caesare, aliis laudandis vituperandisque sibi non semper constat, ita Muretus nonnumquam iisdem de scriptoribus, antiquis et recentibus, alias aliter judicat. Martialem, cujus mul-

\*) Instit. Orat. I, 6.



tis locis et plerumque cum laude mentionem facit, sic cum Catullo comparat: „Quorum ab utroque ita dissentio, ut inter Martialis et Catulli scripta tantum interesse arbitrer, quantum inter dicta scurrae alicujus de trivio, et inter liberales „ingenui hominis jocos, multo urbanitatis aspersos sale“). Lambinum, quem epistol 3. ad eum scripta omnium suorum amicorum amicissimum, eundem improbum et natura nocendi ac malefaciendi cupidum vocat\*\*). Utriusque enim et Ciceronis et Mureti animus rebus praesentibus adeo movebatur et afficiebatur, ut priorum iudiciorum nonnumquam oblivisceretur, aut ad ea, in quibus illo ipso tempore versaretur, accommodanda existimaret. Quemadmodum Cicero pertinacissime veterem reipublicae, sic Muretus ecclesiae formam atque instituta retineri voluit. Utrique elegantia ex similitudine vocum quaesita, quam Graeci *παρομοιωσις* vocant, et lusus verborum nimium placuerunt; uterque fuit in soluta quam in ligata oratione numerosior. Quamquam autem nec Cicero nec Muretus facultati suae poeticae insignem laudem debet, minime tamen hoc studium plane irritum fuit, sed ipsi versuum faciendorum conatus juveniles iis viam ad illam, quam omnes admirantur, scribendi excellentiam patefecerunt. Cujus enim aures ad elegantis, venustae ac numerosae orationis sensum hac exercitatione eruditae sunt, ei, ad quodcunque scripturae genus se conferet, pulchritudinis exemplar in animo informatum et impressum semper ob oculos versabitur, et, ut Cicero ait, in ipsa oratione quasi quendam numerum versumque conficiet\*\*\*). Neque tamen verendum est, ne utriusque orationis permistione varium quoddam, multiforme et male compactum scribendi genus existat, sed potius, quid poeticae liceat, quid prosae vetitum sit, subtilius discernet, qui utriusque periculum fecerit. Constat etiam, omnes, qui umquam in soluta oratione artifices et principes extiterint, aut artem poeticam ante tentasse, aut certe poetarum scriptis rite explicandis viam sibi aperuisse. Ne plura: alios magis duxit ars, Muretum natura; illi verba et sententias Ciceronis reddiderunt, hic suas ipsius sententias oratione Ciceronis vestivit et ornavit. Animorum similitudo peperit linguae similitudinem.

---

\*) Epist. dedicat. scholior. in Catullum.

\*\*\*) Epist. I. lib. 1.

\*\*\*) De Orat. III, 14.

Neque tamen Muretus indole sua fretus imitandi studium neglexisse putandus est, potius ex omnibus ejus scriptis apparet, beneficio hoc naturae eum esse incitatum et incensum, ut ingenita adjumenta ampliaret, et quam maximam ex iis utilitatem perciperet. Quod quanto studiosius iis faciendum est, qui in hoc quidem genere majoribus difficultatibus conflictantur. Imprimis magna cautio adhibenda est cuique imitatori, ne cum verbis etiam sententias a duce suo mutuatur, e quo consequens esset, ut non nova et sua proferret, sed aliena iteraret ac repeteret. Omnis enim imitandi ardor et diligentia plus detrimenti quam utilitatis affert, si sententiae famulantur verbis, non, ut par est, verba sententiis. Sed tamen non negaverim difficillimum esse, res significatas a verbis significantibus discernere ac separare, et dum haec imitaris, illas intactas relinquere, praesertim cum sententiae praecipue nos ad scriptorem aliquem imitandum alliciant et invitent. Ad quem finem assequendum nihil praestabilius videtur esse exercitatione ea, quam P. Manutius tantopere commendavit\*), et cui se, quidquid hoc in genere valeret, dicit debere, nimirum studium easdem sententias multiplici modo exprimendi, et mutato vestitu ita variandi, ut, quamvis aliae videantur, eadem tamen revera permaneant, quibuscunque verbis utaris. Quod qui sedulo ac diu fecerit, semper ratione ejus scriptoris, quem imitari instituit, habita, non iisdem ip verbis ac sententiis haerebit, sed sua ipsius mentis sensa generi scribendi auctoris, quem sibi ducem delegerit, accommodate efferet, praesertim si habet pectus larga rerum copia locupletatum, unde queat, quae lectione digna putet, expromere. Qua in exercitatione cum Manutius a Cicerone quidem praecipue, sed tamen, quod natura ab illo imitando paullo erat alienior, etiam ab aliis bonis scriptoribus sumeret verba et locutiones, ejus scribendi ratio, per se quidem praestantissima, minus tamen Ciceroniana videtur, quam Mureti. Hic enim unum fere Ciceronem ante oculos habebat et ad alios tantum confugiebat, si ab illo destituebatur. Fatetur\*\*) quidem se scriptores vel argenteae aeneaeque aetatis non repudiare; verumtamen scribens hos rarissime, et tunc modo in auxilium vocavit, cum Cicero idoneam ad sensum explicandum vocem non suppeditaret; in sermone quotidiano et familiari forsitan

---

\*) Epist. I, 4.

\*\*) Var. Lect. XV, 1.

minus cautus et fastidiosus fuit. Qui autem Muretum lectionem usumque scriptorum deterioris notae ea de causa commendasse opinantur, ut haberet, unde, si quando errasset, vel defensionem vel excusationem peteret, facere et praeter rationem et inique videntur. Profecto ejus eximiae perfectaeque doctrinae laudibus obtrectant, qui eum usque eo se demisisse autumant, similemque fingunt quibusdam, qui in aliquod sermonis vitium lapsi sibi gratulantur, et honestius se peccasse putant, ubi auctorem qualemcumque invenerint, cujus exemplo antiquo quidem, nihilominus tamen mendoso, culpa se liberari posse existimant, quibusque solatio est socium habere malorum.

Praeterea Mureti doctrina non intra privatos parietes delitescens lucem fugiebat, sed nullam licet reipublicae partem, cui insigniter administrandae fuisset aptissimus, quod ejus commentarii in Aristotelis et Taciti libros declarant, unquam attigisset, ad hominum tamen usum erat accommodatissima, ita, ut saepe, cum de re quadam majoris momenti atque solemniori ad pontificem maximum verba erant facienda, ei hae vires a principum regumque legatis demandarentur. Multo enim longoque usu edoctus et eruditissimorum rerumque civilium peritissimorum virorum consuetudine exercitatus norat hominum indolem, animorumque movendorum artem perfecte tenebat.

Quod autem hac in re plurimum valet, maximam vitae partem literis docendis impenderat. Ubi primum per aetatem licuit, quae sibi suo ipse labore pepererat, ea aliis tradidit, et nondum annos XX natus Ciceronem, Terentium aliosque scriptores Latinos in schola publica interpretatus est, ut anno MDLXXXI, aetatis suae LIII, praedicare posset, se quadraginta propemodum annos in publico docendi munere esse versatum. Inter laudes suas praecipuas numerabat vir alioqui modestus et ab omni jactantia remotus\*), quod, obsoleta illa juris civilis tradendi ratione

\*) Quam modeste, ut virum vere doctum decet, de se suaque doctrina judicaret, demonstrat locus ex Comment. in Aristot. Ethic. I. 1. „Me timidum natura finxit, et experientia „atque usus rerum timidiorem etiam reddidit: cum saepenumero mihi usu venerit, ut, qua- „rum me rerum scientiam habere animo conceptam ac comprehensam existimabam, earum „me postea ipsarum animadverterim magna in ignoratione versari. Itaque fio in dies tar- „dior ad affirmandum: neque ullum fere majorem ex studiorum laboribus fructum capio, „quam quod minus quotidie mihi blandior, et, si nihil aliud, saltem e duobus ignorantiae „malis altero liberor, cum, quae nescio, consequor ea nescire me ut sciam.”



relicta, novam meditando sibi aperuisset viam, quam tanta sapientia et discentium fructu persecutus est, ut magnus ex omnibus terrae regionibus, ex ultima quoque Germania, adolescentium numerus ad eum audiendum conflueret in Italiam, sed reges etiam largissimis, et quanta nostro tempore docto cuidam homini raro, rarissime docenti, contingunt, praemiis honoribusque propositis eum ad se invitarent. Stephanus, Poloniae rex, Mureto ad novam, quam Cracoviae instituere parabat, academiam vocato, pollicitus est mille quingentos quotannis aureos nummos, insuper sacerdotium, ex quo non minus quingentos aureos nummos caperet, et Cardinalis quidam gratuitae habitationis in palatio suo promissionem addidit<sup>\*)</sup>. Opimae sane et laetae conditiones, praesertim si vile rerum necessariorum magnumque pecuniae pretium, quale tunc erat, cum nostrorum temporum difficultate conferas.

Quanto in honore ejus docendi ratio fuerit, testatur locus praefationis in Catilinariam Ciceronis tertiam: „Quoniam autem multi saepe ita mecum egerunt „primarii homines, ut dicerent, se cupidos quidem esse cognoscendi ea, quae a me „discerentur, sed, ne ad me tam saepe, quam vellent, ventitarent, negotiis impe- „diri: si subsecivi temporis aliquid sumerem ad ea ipsa, quae quotidie traderem, „mandanda literis, gratum id multis atque optatum fore; morem illis hac quoque „in parte gerere volui, et ad meos pristinos labores hoc quoque scribendi onus „adjeci.”

Muretus si tantummodo adolescentibus jamjam ad graviore disciplinae incumbendis erudiendis dedisset operam, dubitare posset quispiam, num omnia ejus consilia et praecepta ad rem scholasticam spectantia satis essent tuta proprioque usu collecta. Sed eundem puerorum institutionem non infra suam dignitatem censuisse satis multa demonstrant. Namque jam adolescens XIX annorum pueris praefuit educandis, et vir quinquaginta annorum libellos in puerilis aetatis instituendae gratiam utraque lingua scripsit. Quid de ejusmodi laboribus judicaverit, ipsius verba optime indicant: „Cum enim prima elementa Latinae linguae ei (fratris filiolo) tradere vellem, nihil reperiebam ad captum tam tenerae aetatis accommodatum. Ea res coegit me repuerascere. Neque magis id mihi alienum aut „indecorum puto, quam olim Agesilao fuit deprehendi cum filiolo equitantem in

<sup>\*)</sup> Epist. I, 66.



„arundine longa \*).“ Quid quod eum quadragenarium non piguit, a pueris vitiose scripta emendare, quamquam ei recte vereque Ovidius videbatur dixisse emendandi laborem majorem esse, quam scribendi \*\*). Consolari igitur potest magistros eodem onere pressos exemplum Mureti, qui, cum ejus gloria jam per omnem Europam celebraretur, hanc emendandi molestiam, de qua nunc plurimi graviter queruntur, sponte subierit.

Denique ea de causa Mureto diu multumque de disciplinarum tradendarum ratione cogitandum fuit, quod ineunte adolescentia sibi ipse viam quaerere coactus est. „At mihi puero, inquit, cum alia multa, tum praeceptores defuerunt. Vere enim hoc affirmare possum, post annum aetatis meae duodecimum, nullo me ad ullam artem, neque privatim, neque publice praeceptore usum esse.“ Epist. dedicat. ad sent. Graec. Quicumque autem non alienis vestigiis insistens viam sibi suo ipse cum discrimine et labore munivit, ad ejus ductum fidenter te applicare poteris, nam et novit itineris errores, et ne in pericula imperitis ubique imminuentia incidas, optime praecavebit. Etiam tantam hujus prudentiae famam et auctoritatem apud omnes consecutus erat, ut saepe parentes nobilissimi de instituendis et educandis filiis suis ejus consilia expeterent atque sequerentur \*\*\*). Vere igitur in judicandis puerorum ingeniis se ipse vocare poterat bonum augurem †). Quanti a discipulis suis aestimatus sit, quae summa praeceptoris laus est et commendatio, testatur juvenum nationis Germanorum in Gymnasio Patavino jurisprudentiae studia colentium epistola ad eum scripta ††).

\*) Epist. III. 27. Aliter sentiebat P. Manutius, qui, cum filium quinquennem trans mare mitteret primis literis imbuendum, Mureto, amico suo, hanc rem improbanti, scribebat: Ego me ad haec humilia demittere nullo modo possum.

\*\*\*) Epist. I, 58 et 65.

\*\*\*) Epist. I, 67.

†) Epist. III, 5.

††) Lib. III, 69. Muretum honorificentissime de populo nostro sensisse intelligitur ex epistola iisdem juvenibus rescripta: Ego vero semper mirifico animo erga Germanos fui, motus ingenua quadam simplicitate et integritate ab omni fuco et fallaciis remotissima, quam in eorum plerisque cognoveram, ut eam laudem gentis vestrae propriam esse statuerem. Epist. III. 70.

Etiam illa docendi vis ac praestantia, qua Muretus aequalibus suis profuit, ad nostra usque tempora propagata vivit spiratque adhuc, nec desinit utilitatem juventuti nostrae praestare, quae, quod in arte Latine scribendi profecerit, id imprimis huic magistro debet. Neque enim, Cicerone excepto, fere quisquam veterum scriptorum est, qui adolescentes nostros potentius ad se trahat, arctius et firmiter teneat, iisque ardentiorum imitandi cupiditatem ac studium injiciat, quam Muretinae orationes et epistolae.

Ac nescio, an nos nunc artem criticam et exegeticam tam perfectam atque perpolitam haberemus, nisi multi viam, quam Muretus praecierat, essent ingressi. Nec enim muneri interpretis se satisfecisse putabat, si omnia a textu vulgari discrepantia comportasset, eorumque sive usum sive abusum in sensu scriptorum illustrando lectorum arbitrio permisisset, sed mendo quodam animadverso ex omnium variantium congerie unam aliquam acriter cum iudicio delectam argumentis confirmavit, aut si probabiliorum lectionem invenire non posset, conjecturae felicitate loco corrupto medicinam attulit. Qua in re sic versabatur, ut primum, quoniam suorum quisque verborum optimus est interpret, numquam locum scriptoris cuiusdam explicare institueret, nisi omnibus ejusdem libris consultis, intimaque cum eo familiaritate contracta, in quo eximia memoria mirifice adjuvabatur. Deinde cum totus antiquitatis Graecae et Latinae campus ei pateret, nec in ulla ejus parte hospes esset, non materiam institutionis, usu demum postulante, trepide conquirebat, sed ingenii sui celeritate atque acumine facile inveniebat, quae cuius loco obscuriori lumen affundere possent. In Romanis maxime scriptoribus explicandis semper fontes Graecos, unde quidquid pulchri ac venusti in illorum scriptis continetur fluxit, vestigare studuit, eaque comparatione, e qua singularem quandam voluptatem se percipere ipse profitetur\*), non solum verum scriptorum utriusque linguae sensum saepe felicissime elicuit; sed etiam talium exemplorum collatione adolescentibus rectam imitandi rationem monstravit. Praeterea adhibita scribendi elegantia, qua a criticorum nemine hucusque superatus est, jejunitatem atque siccitatem notarum vulgariarum vitavit. Sane haud pauci interpretum nostrorum praestantiam, qua florent, exemplo Mureti in variis Lectionibus et commentariis ad Aristotelis et Taciti

---

\*) Var. Lect. III, 7.

libros dato ex parte saltem debent. Cujus igitur doctrina pueri primis rudimentis prosperrimo successu imbuebantur, ejusdem disputationibus ac scriptis viri docti doctiores se esse evasuros confidebant.

Etsi vero Muretus multis scriptorum suorum locis consilia ad rem scholasticam pertinentia exposuit, praecipue tamen ejus orationis, quae est

De via ac ratione tradendarum disciplinarum<sup>\*)</sup>, habebimus rationem, cum, quia hic dedita opera et uberius, quam alibi, hanc rem persecutus est, tum, quod praecepta, quae proveciori aetate omnisque doctrinae curriculum emensus protulit, diuturno varioque usu probata, majorem promittunt utilitatem.

Age igitur ipsum audiamus:

Principio igitur positum sit, Graecae Latinaeque linguae cognitionem instrumentum esse ad parandam doctrinae copiam hoc quidem tempore plane necessariam. Id qui negant, aut quid verum sit, non vident, aut contendendi studio in oppugnando eo, quod verum est, ostentare ingenii acumen volunt.

Literarum, quae ad humanitatem pertinent, adversarii semper, ut studium in scriptoribus classicis collocandum infirmarent atque frangerent, et lectionem eorum inutilem, immo noxiam esse demonstrarent, hoc usi sunt argumento, literas salubrius atque facilius peti ex libris vernaculis. Eos enim tempus melius et utilius collocaturos felicioresque facturos esse progressus, qui linguarum discendarum molestia non impediti, sed verborum cura liberi ac soluti, statim ad res ipsas adjicerent animos, ad easque accederent viribus recentibus, neque illo inani scilicet labore fractis. Sed nobis literarum conditionem in iis terris, quibus scriptorum classicorum studium imprimis viget, contemplantibus opinio illa videbitur falsissima. Britannos e. c. constat his studiis esse deditissimos, ut permulti, qui minime doctrinae vitam impendere velint, ab illis tamen nequiquam abhorreant, sed aliqua certe eorum cognitione tincti reperiuntur<sup>\*\*</sup>). Quis vero hunc populum in ulla ar-

<sup>\*)</sup> L. II, 18.

<sup>\*\*</sup>) Jam anno 1765 Dammius epistolam dedicatorem ad lexicon Homericum, quam scriptam in exemplo, quo ipse auctor usus est, servo, ab his verbis incipere potuit: „In



tium parte esse retardatum, aut ab aliis superatum contendere audeat. Quem fugit, ibi saepe inveniri mercatores, artifices, adeo opifices, non solum in suo genere praeclarissimos, sed eruditione etiam minime inferiores iis, qui alibi doctorum nomen sibi arrogant? Apud nos quoque tanto negotiis muneribusque obeundis aptiores fere reperiuntur, quanto sunt ab his literis instructiores.

Magno rei literariae detrimento fieri solet, ut scriptores, qui non ultra linguam vernaculam progressi, quid aliae gentes in literis praestiterint, ignorant, nimium de popularium et sua excellentia gloriantur, opinantes, tantum abesse, ut patria peregrinis indigeat doctoribus, ut externos stuporis ac dementiae incusent, qui non ad sapientiam unice a se petendam advolent. Nullo non tempore, quamvis literarum lux vix accensa esset, primosque emisisset radios, inventi sunt tamen adeo coecutientes, ut in diluculo suo solem nitidum sibi jam ortum esse existimarent, et rerum alienarum inscientia beati, dignos se haberent, qui aliis gentibus facem praeferrent. Patria quoque nostra numquam caruit scriptoribus, quibus factus ille inanis ita praestrinxerat oculos, ut jam saeculo sexto decimo se Italiam, in quibus poetarum principes Petrarca, Boccaccius, Ariostus multo ante inclaruerant, non modo conferrent, sed etiam anteponebant<sup>\*)</sup>. Quae opinio ostentatione progenita gignit alitque ignorantiam. Impeditur enim illa vanitate et dissolvitur omne literarum commercium, quo, gentibus mutuo ingenii proventus secum communicantibus, suas quaeque doctrinae divitias facultatesque auget, atque affluentia et ubertate sua aliorum levans indigentiam, idem vicissim ab aliis exspectat beneficium.

Qui scriptorum veterum studium nihil utilitatis praebere existimant, eosque in contemptum adducere conantur, Muretum nostrum adeo sibi habent adversantem

---

„Germania, si amplitudinis regionum ratio habetur, pauci sunt, qui Graeca vel ament, vel satis intelligant. Apud Britannos vero, quanto in pretio Graecae literae jam inde a pluribus saeculis fuerint, notum est per omnes Europae partes, ubi bonis literis opera navatur.“ Quae laus etiam nunc in Britannos cadit, non vituperatio in Germanos.

<sup>\*)</sup> In praefatione ad *Odysseam* in linguam vernaculam a M. Simone Minervio (Scheidenreissero) primo conversam, et 1528 editam, deinde 1570 repetitam inter alia haec leguntur: ferren mehr weifsheit, kunst vnd wissenheit ist in teutscher, dann in Italiänischer zungen mit buchstaben verfasst, vnd also die grosse Nation, nit allein mit waffen vnd triumphen, sonder auch mit weifsheit, vernunft, hoefligkeit, sitten, redbarkeit, in summa mit aller wolkündigkeit geziert, vnd wird von tag zu tag geziert.

ut quosdam eorum non veri studiosos, sed rebus sua ipsorum sententia falsis, acute defendendis gloriolam quandam captantes judicet, quare etiam eorum opinionem hic refellere non operae pretium videtur duxisse. Quanto minus, si vita ejus in nostra incidisset tempora, classicorum adversarios, quales nonnulli ad hunc diem reperiuntur, redargueret\*). Etenim qui illius aetate hos scriptores oppugnabant, acute saltem disputare de hac re poterant, quod, qui hodie rem eandem, sed non iisdem armis adgrediuntur, sane nequeunt, nam quis de argumento quodam acute scribat, quod nondum perceperit, et quis in scriptore accurate refellendo operam sumat, vel omnino rationem ejus habendam putet, qui de libro quodam judicare, ejusque pretium statuere vult, quem numquam legerit. Et quotus quisque vituperator veterum eos vel legit, vel lectos intellexit?

Sed mittamus haec, cum hodie fere omnes in eo consentiant, juventutem nulla alia ratione ad graviore disciplina, quibus suum aliquando studium dicatur sit, melius praeparari, quam veterum scriptorum lectione; quomodo autem haec instituenda sit maxime inter se dissentiant. Nec nostrae scholae plane consilio Mureti respondent. Nam demum post prima linguae Latinae rudimenta posita, ad Graeca progrediuntur, quae deinde etiam eodem magis tempore, quam conjuncte docentur. Ille autem vult, ut utraque lingua pariter eat, ut in tradenda utraque perpetuo alterius habeatur ratio, ut altera cum altera conferatur, altera ex altera illustretur, eaque comparatio tam verborum, quam sententiarum respectu per omnem cursum scholasticum continetur. Quapropter in scriptoribus utriusque linguae, quorum lectionem suadet, eligendis non solum rerum praestantiae, sed etiam, et imprimis, argumenti similitudinis rationem duxit.

Jam inter Mureti aequales erant, qui quidem in vitae communis usum, et propter literarum studia linguae Latinae cognitionem necessariam esse opinarentur, Graeca autem quemque commode carere posse, nisi qui insigniorem et luculentiorē doctrinae gloriam affectaret. Cujus opinionis vanitati, a qua vel Justus Lipsius

---

\*) Illam veterum scriptorum contemtionem non omnino extinctam esse, sed potius reviviscere intelligitur ex epistola, quae in Seebodii Bibliotheca critica (an. 1824 No. 9.) legitur, ubi theologi cujusdam, Augustanae confessionis, Roma reducis mentio fit, qui censuerit exterminandos esse e scholis Graecos Romanosque scriptores, imprimis Horatium, juventutis corruptorem,

non aberat, quaeque ad nostra usque tempora propagata nondum rorsus obsolevit, nullum efficacius remedium inveniri potest, quam haec arcta utriusque linguae discendae a Mureto tantopere commendata consociatio. Nam si Latina separatim et ante Graecam docetur, periculum est, ne haec vix delibata prae illa plane negligatur. Fuerunt adeo intelligentissimi harum rerum existimatores, ut Hemsterhusius, Ruhnkenius\*), alii, qui non sine causa optarent, ut a Graecis initium fieret, Latina subsequerentur. Sed hac sententia naturae magis, quam scholarum nostrarum conditioni per saecula jam usurpatae accommodata, minus cavetur alterutrius linguae neglectio, quam Muretina, quae illi hoc etiam nomine videtur praeferranda. Cum enim inde ab antiquissimis temporibus Romani linguam suam ex Graeca, imprimis Aeolica, locupletarint, vel, ut Quintilianus ait\*\*), maximam partem converterint, et postea ad scribendum sese dantes non solum verbis, sed sententiis etiam excohaeruerint et ornarint, cuique, qui scriptorem Latinum, praesertim poetam et philosophum aliquem recte intelligere et interpretari velit, perpetuo ad fontes, unde illi hauserunt, redeundum est. Saepe etiam vicissim imitatores illi praestantissimi iis, quae expresserunt, lumen afferunt, ita ut altera lingua alterius subsidio destituta manca ac mutila videatur, cum utriusque unum quasi corpus esse debeat. Quare linguae Latinae amatores, Graecae autem contentores cernendi sunt iis, qui radices et stirpis cura cultuque omisso fructus expectant.

Si quis metuat, ne Muretina ratio permisionem confusionemque pariat, fallitur. Nam quemadmodum ii, qui multa opera tam a magnis artificibus inventa et perfecta, quam ab aliis imitando expressa inspexerunt et comparaverunt, acutius illa internoscent et dijudicabunt, quam qui habent oculos minus exercitados, sic etiam consuetudo continua similitudines et discrimina utriusque linguae notandi attentionem animi augebit, iudicium acuet, memoriam adjuvabit. Valde quidem dubito, num in ulla schola publica haec ratio umquam adhibita sit; scriptores autem illos magnos, Muretum ipsum, P. Manutium aliosque illius temporis privato

---

\*) De quibus Wyttenbachius in vita Ruhnkenii (cap. 32.): „Ita et ipse (Ruhnkenius) iudicabat, et Hemsterhusium iudicantem audiebat, praeposterum esse puerilis institutionis ordinem, quo primum Latinis, deinde Graecis imbuimur literis.”

\*\*) Instit. Orat. I, 5.



studio eam secutos esse, scripta eorum manifesto ostendunt. Nam Latine scribentes, si haec lingua verba sententiis suis plene satisfacienda non suppeditabat, ex Graeca subsidium petebant.

Quare puer is, quem informare ac describere ordimur, honesto loco natus, modicis opibus instructus, ea corporis firmitate, ut studiorum laborem perferre possit, ingenio neque agresti et hispido: nec molli et effeminato, sed eleganti et ad honestatem propenso praeditus, sextum aetatis ingressus annum Graecarum Latinarumque literarum formas, nomina, potestatem per ludum jocumque condiscat, et, ut id libentius faciat, non metu ac verberibus, sed praemiolis, quibus aetas illa capi solet, identidem excitetur.

[Modicis opibus instructus.] Muretus, qui saepe principum legatis, viris opibus nobilitateque insignibus, eloquentiam suam commodaverat, et optime norat, eos non tam propter doctrinam, quam propter generis amplitudinem legationis honore esse affectos, non magnopere sibi optabat istius ordinis discipulos, quos quidem non a literis fortasse jucundioribus, sed tamen a disciplinae suae severitate abhorrentes cognoverat. Nam quae doctrinae comparandae esse deberent subsidia atque instrumenta, divitiae, ab earum possessoribus saepe ita collocantur, ut potius sint impedimenta. Vere Martialis\*):

Ardua res haec est, opibus non tradere mores,

Et cum tot Croesos viceris, esse Numam.

Etenim sic est natura hominum comparata, ut velocissimo cursu ad ea, quae sensus mulcent et deliniunt, spretis melioribus animi oblectationibus, festinent. Praeterea multorum puerorum, quibus amplum est patrimonium, educatio minime talis esse solet, ut patientia atque perseverantia, ad doctrinam, Muretina praesertim ratione assequendam maxime necessaria, instruat animum. Parentibus continenter vel momentibus, vel agendo significantibus, se opibus adeo abundare ut filiis suis non victus, sed animi tantum causa literae sint trahendae; quid mirum, si illi ex omnibus artium generibus aliquantulum, quod jucunditatis et oblectationis aliquid ostendit, delibant, sed difficultate se iis offerente, statim refugiunt.

\* Lib. XI, 5.

Fatendum tamen est, fuisse semper nonnullos, qui divitiarum suarum illecebris non irretiti bonam earum partem ad literas adjuvandas earumque cultores fovendos adhiberent, quique ipsi operam ingeniique vires ad artem quandam, quam prae ceteris adamassent, conferrent. Videmus, quantum nostris temporibus accuratior rerum naturalium investigatio et cognitio debeat liberalitati, solertiae, itineribus sumptuosis atque periculosis horum virorum, quorum studio unus non sufficit orbis\*), quique generis claritatem eruditione decorant et augent. Sed per paucis eorum haec via, quam Muretus optimam judicavit, placitura fuisset, quippe quae tantam animi contentionem et assiduitatem requirat, quanta a puero omnibus vitae commoditatibus ac deliciis affluente vix expectanda est. In Britannia, et in Britannia fere sola, divitum filios scriptorum classicorum studio erudiendi mos inde ex antiquo tempore a majoribus acceptus ad hunc diem permanet, quod hoc modo aditum ad eloquentiam optime aperiri recte putant, cui in illa terra majora, quam alibi, praemia proposita sunt. Nemo enim ibi neque ad summos honores ascendere, neque eos rite tueri potest, nisi eximiam eloquentiam sit consecutus. Quamquam autem plurimi illorum, rempublicam praecipue spectantes, in his studiis sibi non consensendum esse existimant, sed tantum, quantum suis commodis ac rationibus suffecturum arbitrantur, adepti, ad eam reipublicae partem transgrediuntur, quam sine his literis nullo modo se tuituros et ornatos esse intelligunt, tamen multi postea maximis implicati atque districti occupationibus ea non plane intermittere solent, sed amorem, quem juvenes imbiberunt, etiam senes non deponunt.

Minus quidem quam divitiae pauperies, quae per se ipsa longe abest ab omni turpitudine, officit doctrinae studiis, at errant, qui illa homines excitari ad literas colendas putant. Inopiam parere artes vulgo dicunt, et si recte intelligas, vere dictum videtur. Egestas industriam exacuit, cogitque homines ad labores, quos sua sponte non essent subituri, laborum autem fuga et timore quaerunt, quo illos sibi reddant faciliores, quaerunt instrumenta manu tractanda, quibus res ad victum necessarias parent. Ex hoc studio proveniunt postea illae, quas mechanicas vocant, artes, non literae, de quibus hic agimus. Hae modo paratis vitae necessitatibus, et

---

\*) Juvenal. X, 168.

apud populos, quibus tanta est rerum necessariarum copia, ut multi cives, ab illa humili cura liberi, queant ad generosiorum animi cultum eniti, laete efflorescant. Hominum autem, quos illa cura urget atque exercitat, opera in artibus posita prospero carebit successu. Sollicitudine eorum animus a literis abstrahetur, debilitabitur, frangetur. Non eligere poterunt sibi id doctrinae genus, ad quod ab ipsa natura deducuntur, sed dirae necessitati et victus quaerendi curae serviendum est.

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat

Res angusta domi \*).

Neque tamen infitandum est, nonnullis, ubi ex his incommodis ac miseriis, quibus fortunae vitio premebantur, emerunt, celeriores et expeditiores esse progressus. Nam fuerunt homines, licet non multi, qui in summa paupertate et vitae conditione omnibus fortunae commoditatibus carente eximiam assecuti sunt doctrinam. Quae cum ita sint, modicis tantum opibus instructum feliciter in hoc genere elaboraturum esse, verissime Muretus iudicat, quem etiam neque copiosum et divitem, neque egenum fuisse constat, quamquam ipse fatetur, se non esse ex illis philosophis, qui pecuniam valde contemnant\*\*), et alio loco, virtutem sine opibus, et opes sine virtute imbecillas esse.

[Ea corporis firmitate, ut studiorum laborem perferre possit.]

Antiquitus doctos homines longe firmiori, quam nunc, usos esse valetudine, ex libris eorum conjici potest, qui maximam partem ita absoluti et perfecti exierunt, ut in iis denuo edendis non tam multa, quam hodie, post breve tempus, essent adijcienda, mutanda, corrigenda, et ut ad indices locupletissimos componendos virium aliquid superesset. Praecipua hujus discriminis causa in eo posita est, quod hodie haud pauci ob corporis debilitatem literarum studium amplectuntur. Olim autem valetudinis major habebatur ratio, et pueri ii plerumque ad hoc vitae genus eligebantur, qui laboribus cum eo conjunctis videbantur pares. Potissimum eos, qui hoc maxime consilio literis student, ut aliis eas tradant, indigere firmitate corporis, hodie non satis reputant, nam multi hoc munus majori animi, quam corporis vigore adgressi aut saepe officiis suis deesse coguntur, aut praematura morte eripiuntur, praesertim si

\*) Juvenal. L. X, 164.

\*\*) Comment. in lib. I, Ethic. Aristot.



fractis et nimia discipulorum frequentia attritis viribus ad muneris labores librorum scribendorum studium aut necessitas, vigiliae et lucubrationes accedunt. Dolendum est, quod ii ipsi huic periculo maxime obnoxii sunt, a quorum ingeniis laetissimi fructus in posterum expectari possunt. Nec tamen diffiteor, indignisse priscam studiorum tractandorum rationem nervis firmioribus. Via ad doctrinam multis, hodie ignotis occludebatur impedimentis; librorum raritas eorumque parandorum difficultas poscebat multo majorem operam et assiduitatem. Illis temporibus quisque omne conferebat studium ad unam eandemque disciplinam, quam, aliis plerisque posthabitis, tanta constantia et quasi pervicacia persequebatur, ut ad ejus perfectam cognitionem perveniret\*). Quam perseverantiam raro nunc aliquis imitari sustinet, quia valetudinis fragilitas illam contentionem non fert, sed laboribus usque mutandis fractas exhaustasque vires reparare studet. Longe igitur melius literae se essent habiturae, si omnes ad eas cum mente sana sanum corpus adferrent, ut illa vaga et quasi desultoria ratio plane aboleretur, quae minus animi, quam corporis morbus est habenda.

[Ingenio neque agresti et hispido, nec molli et effeminato.]  
Quali puer sit ingenio, agresti, effeminato, an eleganti, id omne repetendum videtur ex prima educandi ratione disciplinaque domestica, quam parentes secuti sunt. Severitate nimia ac duritie quasi callum ducit animus et pervicax refractariusque

\*) Muretum ipsum, quamquam historiam, geographiam et mathesin cum veterum lectione conjungendam existimat, in geographicis tamen parum operae posuisse ex quibusdam locis apparet, e. c. „Eadem causa est, cur nihil rescribam ad literas Germani illius (N. Chytraei). Scribit enim ad me Rostochio, cujus ego oppidi nomen nunquam antea audiveram, neque ubi terrarum sit, scio.” Epist. I, 91. Erat autem jam tunc Rostochium universitate literarum et mercatura inter urbes foederatas nobile. — In monodia in obitum Christoph. Tuani:

„Hic plena Hyblaeo populans alvearia melle,  
„Condidicit miram magni Demosthenis artem.”

Hybla erat mons Siciliae, Hymettus Atticae, qui hic confunduntur. — „Tria maxima Europae flumina esse, Nilum, Istrum et Rhodanum, traditum est; sed principem locum omnes tribuunt Nilo: ab eo autem secundum Istrum facit Sallustius.” *Variar. Lect.* XIII, 20. Vix tamen credibile est, Muretum ignorantia sic errasse; sine dubio haec scribens vocis Europae oblitus erat.

redditur, ita ut praeceptor vix quidquam reperiat, quo eum flectat et refrenet aut frangat. Etenim admonitionibus, exprobrationibus laudibusve raro movetur, qui poenis et castigationibus adsueverit et ad eas obdurnerit. Attamen nisi puer tractandi ratione, nullis humanitatis condimentis mitigata, depressus sit, interdum illa animi vitia in constantiam tolerantiamque laborum abeunt. Quorundam puero- rum ingenia efferantur parentum incuria, et quo generosior est illorum indoles, eo periculosior et nocentior videtur educationis neglectio. De iis tamen meliora sunt speranda, si tempore disciplinae graviori tradantur, quam de iis, qui nimia indulgentia corrumpuntur, et a pueris consuescunt, voluptatem deliciasque finem bonorum et laborem summum malum habere. Uno verbo, si alterutrum oporteat eligi, multo malim puerum efferatis quam effeminatis moribus, potest enim ille mitescere, et ad bonam frugem vocari, ubi ferae stirpi surculus melioris notae inseratur; nulla autem cultura efficiet, ut arbor distorta, decurvata, nodosa ad justam sese proceritatem attollat.

[Sextum aetatis ingressus annum Graecarum Latinarumque literarum formas, nomina, potestatem per ludum jocumque condiscat.] Erunt fortasse, qui contra claudunt: Puero sexenni, qui vix vernaculae linguae literarum formas novit, proponere libros lingua Graeca Latinaque conscriptos. Crudelitatis accusabunt Muretum, qui dies veris humani tam cito praetereuntes, ab ipsa natura laetitiae atque hilaritati destinatos contristare velit. Jam eo aetatis tempore pueris olim literis operam daturis tradendos esse libros, non illi quidem negant; at eos tam tristi molestaque re vexare, crudele existimant. Satius ac naturae magis consentaneum putabunt, illam aetatem tabulis pictis, jucundisque ex historia naturali vel politica collectis ac decerptis narratiunculis fabellisve oblectare. Illos initio, quod cupiunt, assecuturos esse verisimile est, sed mox obrepit satietas atque taedium pueris agendi, et virium suarum exercendarum cupidissimis, otisque, ad quod illa docendi ratione coguntur, impatientissimis. Vehementer enim errant, nec accurate puerorum indolem contemplati sunt, qui facilia modo et desidiosam oblectationem diu ac valde iis placere opinantur. Sicut puer, via plana atque strata relicta, gestit fossas transilire, ascendere rupes et arbores, per dumeta repere; ita etiam gaudet impedimentis ingenio superatis. Modo ne obstaculis inscitia magistri auctis frangatur animo, et tractationis odio etiam rem tractandam

abjiciat, et per omnem vitam abominetur. Tale quid autem nemini eveniet, qui Mureti consilio obtemperans sapienter ludum et jocum in subsidium vocat, id quod probandum est, si parvulum erudis, minime vero, si nullo discrimine et puerum et adolescentem tractas. Neque illud negligendum est, aliud esse ludo uti industriae incitamento, aliud semper ludendo animum defatigare debilemque reddere.

[Non metu ac verberibus, sed praemiolis, quibus aetas illa capi solet, identidem excitetur.] Si quis puerum prima rudimenta discere incipientem afficit poenis, perverse agit, nam animo semel odio literarum imbuto, quod certe usu veniet, semper opus erit poenis. Qui autem fundamentis literarum jactis cunctanti ac desidi dubitant, si est ita necesse, et lenior disciplina effectum caret, acriores stimulos admovere, si non cogitant, puerum in schola eodem modo esse tractandum, quo olim in republica vir munere fungens tractabitur. Poenas autem tunc luet, si in negotiis sibi demandatis aliquid deliquerit aut neglexerit. Ubi vero jam in schola didicerit, quae secutura sint mala pigritiam, cum sperandum est cautiorem et consideratiorem ad rempublicam esse accessurum. Nam profecto qui negligentiae poenas in schola non dederit, ab eo aliquando multo graviores exigentur. Dummodo justae sint, et ad animum corrigendum, non opprimendum vel exasperandum accommodatae. In omni institutione haec suprema lex esto, ut legibus et institutis reipublicae, in qua ei olim vivendum et agendum erit, convenienter educetur, iisque, quae civis observare debebit, jam puer adsuescat. Qua lege violata, quanta pericula et calamitates civitatibus impendeant, Muretus docet\*): „Qui si apte et accommodate ad eam rempublicam, in qua nati „sunt, educati erunt, non temere quidquam in ea novarum rerum molientur, sed „eam, qualem acceperunt a majoribus, talem studebunt etiam posteris tradere: ne „que quorum una eademque in pueritia fuerit omnium institutio, valde unquam „eorum in tractandis publicis negotiis sententiae discrepabunt. Sin, ea tota re „neglecti habita, alii aliis moribus imbuti atque instituti ad rempublicam acce- „dent, dum quo sua quemque natura ducet, eo etiam civitatis formam inflectere „conabitur, non mediocri periculum est, ne variis discordantium ac dissidentium

\*) Commentar. in lib. V. Ethic. Aristotel.



„opinionum quasi flatibus agitata, in uno eodemque statu diutius permanere non possit.”

Puerorum prima elementa discentium industriam languescentem interdum praemiolis excitare non improbandum est; haec enim aetas nec assiduo rei cuiusdam discendae amore, nec officio, nec bono in posterum expectando, nec futuri usus necessitate magnopere movetur. Ubi vero ad id aetatis pervenerit discipulus, ut melioribus diligentiae incitamentis ejus animus tangatur, ea potius adhibenda sunt. Attamen praemiis aliquid boni effici posse credibile est, si discipulus ex iis in se collatis intelligit, se officiis rite servatis eorum favorem atque gratiam sibi conciliasse, a quibus bene audire cupiat; modo ne ad illius opinionis temeritatem prolabatur, se eo, quod praestare debuit, praemium quoddam meruisse, et tales quoque expectationes ad reipublicae partes admotus foveat.

Etiam laus est genus quoddam praemii, in qua tribuenda nonnulli nimii et tanquam prodigi longissime absunt a Ciceronis sententia: Causa difficilis laudare puerum; non enim res laudanda, sed spes est\*). Difficilius est, quam plerisque videtur, recte et utiliter in hac re versari, nam verus ac justus existimator debet omnium discipulorum indolem, mores, vires pertentatas atque perspectas habere, ne laudes in blanditias abeant, deinde diligenter reputandum est, num alicujus ingenio laudatio sit consentanea et salutaris, an contraria eorum, quae efficere volumus, inde eventura sint. Laus enim praeter meritum et iis tributa, qui minus virium contentione, quam ingenii felicitate proficiunt, securitatis, desidia et arrogantiae causa esse solet, cum illa tantum, qui sibi nimis diffidunt, ad alacrius progrediendum excitari debeant. Nec injuria interdum parentes, quorum filii expectationem frustrati sunt, queruntur, eos immodicis et intempestivis magistrorum laudibus esse corruptos, et illi ipsi, qui damnum fecerunt, postea cum verius rem perpendere possunt, dolent, quod non iudices nacti sunt severiores minusque ad lenitatem propensos.

Ubi annum in eo posuerit, ut et Graece et Latine satis facile atque expedite legat, jam septimo primis illis, maximeque grammaticorum utriusque linguae praeceptis imbuatur, nomina et verba

\*) Libror. de republ. fragment, extr.

flectere ac variare, et inter se sine vitio conjungere ac variare discat. Huic uni rei annum septimum tribui velim.

Jure Muretus omnes totius primi anni horas principiis utriusque linguae tradendis destinatas tribuit uni legendi exercitationi. Nam dici vix potest, quantum hoc exercitationis genus habeat momentum ad linguas discendas. Qui non statim ab initio ad literarum formas, syllabas omniaque vocabulorum signa scripta attendere oculos animumque consueverit, per omnem vitam in legendo haesitabit et alucinabitur. Ex quo necessario sequetur, ut linguae discendae vocabula male memoriae imprimantur, inter se permulentur, significatio alterius alteri supponatur, et cum deinde ad interpretandum accesserit, illud cacoëthes multas ei difficultates objiciet, una enim syllaba aut litera falso lecta adeo impedit intellectum, ut saepe omnis obscuretur oratio. Verissime ait Quintilianus\*): „Res modica dictu; „qua tamen ommissa, multa linguae vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili „in posterum pravitate durantur.”

In plurimis scholis nunc audiuntur querelae, multos inveniri discipulos, qui nec aetati suae, nec ceteris in literis profectibus congruenter legant. Causa hujus incommodi unice ex institutione puerili repetenda est, quae hanc exercitationem vel vilem et dignitate sua minorem, vel cum aliis rebus, quae potiores videntur, conjungendam existimat. Praecipue linguae Latinae pronuntiationi, cum multo difficilius, magisque erroribus obnoxia sit, quam Graecae diligentior cura tribuenda est, nam, hac neglecta, numeri dictionisque venustas atque lepores, quorum praestantissimi veterum scriptorum erant studiosissimi, neque satis sentiri, neque imitando exprimi possunt. Nec enim id modo agendum est, ut tirones syllabas ultimas recte legant, ceterae eorum fere arbitrio permittantur, sed ut omnium genuinam pronuntiationem, quantum nobis ea nota est, sequantur. Quocirca optabile esset, ut libellus huic consilio aptus conscriberetur, quo omnia, quae recentiorum grammaticorum acumine et solertia hoc in genere indagata et argumentis confirmata sunt, congererentur planeque explicarentur, exclusis tamen opinionibus adhuc dubiis; deinde, ut in hoc libello illis legibus convenienter quantitas omnium, etiam positione longarum syllabarum, quae vulgo minus recte corripuntur, notis indica-

\*) Inst. Orator. I, 1. extr.

retur, simulque discipulis proponerentur loci, ad eorum ora mature formanda, auresque erudiendas accommodati, quibus, etiam sensu nondum intellecto, quid sit concinnum, suaviter pleneque sonans, quidve absonum, hispidum, salebrosum praesentire discerent. Cujus libelli communi rectoque usu simul cavebitur hujus exercitationis perturbatio: in quam docentium discrepantia ac dissensione facile discipuli incidere poterunt; nam inter lectionem hucusque vulgo usurpatam, et inter veram atque integram tantum interest, ut, qui alteri inhaereat, vix intelligat eum, qui alteram probet. Pueri igitur, qui unius anni spatio vocabula Graeca et Latina eorumque continuationem emendate et expedite, ad syllabarum quantitatem recte et numerose legere didicerunt, ii videntur tempus hoc utiliter collocasse. Sed mature exercitatione bene instituta haec facultas iis tradenda est, facilius enim est, vitia praecavere, quam longa consuetudine inveterata emendare ac dedocere.

At, dixerit aliquis, eadem diu continuata ejusdem rei tractatio tandem studium, quamvis ardentissimum, frangat, mentis satietatem et languorem afferat necesse est. Omnino, si per quinque aut sex quotidie horas puer subsellio adfixus, uno eodemque opere torqueatur atque vexetur; minime vero, ubi alacrem, humanum docendique peritum nactus fuerit magistrum, qui huic aetati apta rerum varietate institutionem callet prudenter condire. Errant, qui puerum legentem viri similem putant; hic legit, ut lectum intelligat; ille, ut recte legat: uterque gaudebit, si propositum fuerit assecutus.

Octavo (anno) incipiat jam aliquid audire, aliquid legere, idque ejusmodi, ut et ad formandos mores non nihil conferat, et voluptatem potius adferat, quam magnam ullam animi contentionem requirat. In hoc genere apud Graecos excellunt Aesopi fabulae et Phocylidis carmina: Latini talium scriptorum inopia laborant, nisi quis easdem illas fabulas ab optimo et eruditissimo viro Gabriele Faerno Latinis versibus elegantissime expressas, illi aetati proponendas putet, et addendum, si quod exiguum poëma puris verbis vitae praecepta continens reperiatur.

Sic igitur Mureto auctore instituenda est primae hujus lectionis ratio, ut triplex inde simul capiatur fructus, lingua utraque discatur, mores fingantur, vo-



luptas adferatur. Num vero labor ille, qui in linguae peregrinae principiis versatur, cum moribus formandis commode queat conjungi, vehementer dubito.

Apophthegmata illa ac loci communes ne adultis quidem valde placere solent, nedum puerulis, a quorum ingeniis sunt alienissima. Quodsi opera, difficilis sane quidem, quae in primis vertendi et intelligendi conaminibus ponitur tantummodo sententia quadam huic aetati nec jucunda nec apta compensatur; timendum est, ne discipulum laboris ingrati tandem pigeat, neve tantum aversetur omni isti studio, sed praeceptum etiam tam moleste et invita natura sibi obtrusum postea contemnat et negligat magisque in ore, quam in pectore ferat. Ac minime aetati puerili congruentes esse istos versus, qui Phocylidis nomine jam feruntur, nemo, iis attente lectis, negabit, ita, ut si delectus sedulo habeatur, admodum paucos invenias huic consilio accommodatos. Muretum ipsum deinde sic judicasse, ex eo patet, quod in fratris filii primis literis imbuendi gratiam composuit apophthegmata Graeca hac ratione Phocylideis longe praeferenda. Sunt quidem pueris multa, quae nondum capiunt, in futurum usum discenda; sed cum iste locus communes peregrina lingua scriptos memoriae infigendi labor semper ingrati aliquid habeat, minime ille mihi videtur adhibendus ad mores conformandos, ne, quod per omnem vitam amare et sequi debeant, oderint et fugiant. Porro sunt illa praecepta plerumque ficta et comminiscendo inventa, non agendo spectata. Fac etiam verissima esse, numquam tamen ex ista disciplina prodibit vir, in omnibus tam secundis, quam adversis rebus sibi constans, non alienis opinionibus, sed suo ipsius iudicio atque rationi, et iis tantum, quae proprio usu vera cognoverit, in vita obtemperans; sed imbecilli isti homines, qui, nisi ab aliis ducti, titubant et labuntur.

Miretur fortasse quispiam, cur Muretus potius fabulas Aesopicas a Gabriele Faerno, cujus doctrinam et descriptoribus classicis merita passim laudat, in Latinam linguam conversas, quam Phaedri fabulas Latine discipulis commendaverit. Phaedrus autem demum MDLXXXII primum editus est, cum Muretus jam annis septem ante (MDLXXXV) obiisset. Poema exiguum vitae praecepta continens, idem est, quod in usum fratris filii composuerat.

Biennium consequens, id est, nonum ac decimum annum ita lubentissime posuerim, ut puer matutinis quidem horis libros Xenophontis de institutione Cyri, quibus nihil purius aut suavius reperiri

potest, pomeridianis autem Caesaris potissimum commentarios legat, qui mihi unus ex omnibus Latinis ad illam nitidissimam Xenophontis simplicitatem proxime videtur accedere.

Post prima fundamenta linguae posita historicorum lectionem juventutis naturae atque indoli maxime convenire, et, si ante omnia dictionis purae sinceraeque rationem habeas, rectissime a Xenophonte et Caesare incipiendum esse, nemo infitias ibit. Attamen fructus ille ex praestantissimo atque purissimo scribendi genere percipiendus haud mediocriter minuitur, si res non sint ejusmodi, ut pueri eas intelligere possint, illorumque mentes iis alliciantur, quod et de Cyropaedia et de Caesaris commentariis subdubitandum est. Nam etsi in illa passim inveniuntur, quae juventutis animum possint aliquamdiu tenere, plurima tamen ab hujus tenerae aetatis captu sunt remotiora. Accedit, quod ficta, vel summa scribendi arte exornata, minus, quam vera in animos penetrant. Etiam Muretus, sequens Ciceronis auctoritatem\*), Cyropaediam vere et proprie historiam esse negat: „Ne Xenophontis quidem libros *Κύρου παιδείας* pro historia acceperim: tum ob alias causas, tum quia in eis non tam curae fuit sapientissimo ac disertissimo scriptori, ut res a Cyro gestas exponeret, quam ut nobis exemplar regis omni ex parte „perfecti proponeret\*\*).” Omnibus igitur aliis, si optio mihi daretur, Xenophontis scriptis praeferrem hac in re Anabasin, quae, quia maximam partem singulorum dierum acta continet, facile capi et intelligi potest. Quem adolescentem non juvabunt jucundissimae gentium, regionum aliarumque rerum descriptiones ab ipso expeditionis duce profectae? Quis non constantiam animumque fortissimum in laboribus subeundis et exantlandis, in periculis summa arte militari depellendis admirabitur? Discipulus non poterit non exercitui, cujus sors eum perpetuo suspensum sollicitumque tenet, se quasi comitem adungere, ita, ut militum illud *Σάλαττα, Σάλαττα!* fere audire sibi videatur.

Ob quandam styli similitudinem, quae est inter Caesaris commentarios et magnam Cyropaediae partem, Muretus utrumque librum putavit legendo conjun-

\*) „Cyrus ille a Xenophonte non ad historiae fidem scriptus, sed ad effigiem justii imperii.” Ad Q. Fratr. I, 1. 8.

\*\*\*) Oratt. L. II, 10.

gendum. Verumtamen continuae illae de proeliis, itineribus, urbibus captis, pontibus junctis, comœatu exercitui parando narrationes puero decenni neququam placere possunt. Praeterea cuique, qui Caesaris commentarios recte intelligere vult, tanta rerum, quales tunc Romae erant, notitia opus est, ut eorum lectio integra tantum adolescentibus curriculum scholasticum fere emensis possit fructuosa esse et tuto commendanda. Quare persuasum mihi est, Muretum hic non tam rerum narrationem, quae huic aetati conveniret, spectasse, quam scriptorem Xenophonti sermonis simplicitate et integritate simillimum quaesivisse. Alioqui Nepotem inter omnes Romanos pueris accommodatissimum profecto non silentio praetermisisset. Magni enim hunc scriptorem fecit: „Praestantis, inquit, viri et illorum „temporum aequalis Cornelii Nepotis verba ipsa recitabo“). Per elegans exstat „Aemilii Probi ad T. Pomponium Atticum libellus, quo Graecorum imperatorum „vitae mundissimo ac castissimo orationis genere explicantur“).

Undecimus annus comoediis detur, ita tamen, ut ex Terentio Plautoque, et multo magis ex Aristophane, quidquid inquinare pueriles animos potest, aut resecetur aut omittatur. Quod idem de omni scriptorum genere semel a me dictum accipi volo.

Cum illa castimonia linguae, cui maxima scriptorum nostrorum pars studet, in veterum scriptis saepissime desideratur, interpretes haud raro laborant, quomodo ancipites lubricosque locos exponentes ex his spinosis difficultatibus se expediunt, et pudicitiae simul et intelligentiae consulant. Facillima quidem et promtissima ratio esset, si libris, ab omnibus, quae mores offendere possunt, perpuratis uti liceret. Sed cum de iis quae juventutis moribus nocentia videntur, iudicia maxime inter se discrepent, saepe etiam lumina simul cum maculis tollantur; mutilatio scriptorum veterum omnino improbanda est, multo magis locorum singulorum, qui offensionis aliquid habere videntur, inter legendum omissio. Magistri enim, qui discipulos ab eorum lectione arcere et summovere student, injiciunt potius iis, omissionis causam sagacissime odorantibus, cupiditatem legendi, et totis

\*) Oratt. Vol. II, 19.

\*\*) Var. Lect. VII, 1.



viribus eruendi, quae eos celare volunt. Quem scopulum facillime vitabunt, qui non integros scriptores, sed et insigniores tantum et difficiliore ex iis selectos locos explicant.

Etsi Muretus ad institutionem scholasticam perficiendam longius tempus, quam nobis conceditur, postulat, mirum tamen videri potest, quod (negligens hic Senecae, cujus auctoritas permultum apud eum valebat, dictum: Onerat discipulum turba, non instruit, multoque satius est, paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos\*) quinquaginta paene scriptores Graecos et Latinos adolescentibus usque ad annu aetatis vicesimum octavum evolvendos existimat. Muretum, quod fieri non potest, id suasisse non est credibile. Triplici de causa id olim factum est, quod nos nunc praestare sive nequimus, sive desperamus. Prima eaque praecipua quaerenda videtur in tanta rerum nunc in scholis tractandarum copia ac multitudine, qua, genio saeculi ita postulante, magna pars temporis, olim soli veterum studio consecrati, aliis disciplinis tribuitur, praesertim cum multi juvenes curriculum scholasticum in dies angustius circumscribant, et ad scholas academias festinent. Alteram Muretus ipse in hac nostra oratione affert: „Neque hos libros totos a praeceptoribus exponi arbitror debere. Cum tantum „cujusque a praeceptore audierit, ut sine cortice, quod ajunt, nare possit, quod reliquum est, suo ipse privato studio persequatur\*\*).“ Tertia causa inest in statura, quam vocant, legendi consuetudine, quae, Aristotelis sententiae, nihil esse suavius, quam citissime discere, repugnans, nonnumquam nimis lente procedit. Verissime dicit Muretus, aequae in studiis nimiam diligentiam, si male collocetur, ac nimiam negligentiam nocere\*\*\*). Et quod Cicero in summis oratoris laudibus ponit, non solum, quod opus sit, dicere, sed etiam, quod non opus sit, non dicere †), idem licet ad scholarum magistros transferre.

\*) De tranq. animi c. 9.

\*\*\*) Cujus rationis utilitatem etiam Ernestius in praefatione ad Ovidium Heinsianum a Fischerio repetitum omnino lectu dignissima subtilissime et accuratissime exposuit.

\*\*\*) Schol. in Senecae libr. de brevitate vitae.

†) De orat. II, 73.

Cum in omni institutione summum sit, ut iudicium discipulorum exacuatur, iique ad rectum ejus usum in rebus agendis praeparentur, et cum veterum scriptorum interpretatio bene instituta tutissime eo perducatur; haec ad eum finem imprimis dirigenda est. Fatendum quidem est, pedetentim commodius, quam festinanter legendo effici, ut lectum recte intelligatur vereque iudicetur. Sed ne obliviscamur, non scholae solum, verum etiam, et praecipue vitae esse discendum, omnemque cognitionem mancam esse atque inchoatam, quam nulla actio sequatur. Praeclarum opus est, inquit Cicero, docere, instituere adolescentes et ad omne munus officii instruere<sup>\*)</sup>. Inveniuntur quidem interdum homines tanta iudicandi vi et celeritate a natura ornati, ut in qualibet re, quid faciendum sit, statim perspiciant, quique nulla nec doctrina et ope magistri nec exercitatione indigere videantur. Hi quasi numinis afflatu percussi res perficiunt, quibus vel ii, qui ab artibus multo sunt instructiores, in stuporem admirationemque rapiantur. Sed quoniam homines tanti ingenii perraro nascuntur, et illi ipsi, qui singulari hoc naturae beneficio gaudent, majora efficerent, si ad illas naturales facultates apta institutio adiutrix accessisset, doctrina opus est, qua haec animi vis vel corrigatur, vel augeatur et corroboretur. Quem fructum ab interpretatione scriptorum classicorum sperandum, et hoc nomine eam imprimis commendandam esse homines sapientes semper censuerunt. Ut vere recteque iudicare discipulus discat, ad verba quidem, syllabas, literas, signa omnesque res, quae per se minutae videntur, in continuatione autem orationis ad sensum eruendum magni momenti sunt, animum attendere consuescat necesse est. Quare in hac exercitatione nimia festinatio utique noxia esset; at facultatem et virium maturitatem eam, ut sine difficultate lecta intelligere possit, nactus, non remorandus, et per ambages ducendus est, multo minus rebus per se spectatis utilibus, a loco autem proposito alienis, impediendus, quo minus, alacriter progrediatur. Nam in vita et negotiis gerendis aequae celeri, ac vero iudicio consilioque et mature facto opus est. Qui omnibus minutiis ad calculum vocatis, diu huc et illuc fluctuant atque trahuntur, antequam certi aliquid apud animum suum statuere possunt, ii plerumque opportuna occasione ablata ad agendum sese accingunt. Praesens autem et promptum consilium nemo capere discet

---

<sup>\*)</sup> De senect. 29.

tarda, licet accuratissima, sed alacri modo lectione. Praeterea singulas rerum partes nimium diu et anxie contemplantibus saepe accidit, ut totius adspectu priventur. Itaque hac, quam suadet Muretus, ratione, praeter uberiores veterum scriptorum notitiam, instruentur discipuli illa animi facultate omnium praestantissima, et publice privatimque fructuosissima.

Inter tot Graecos Latinosque scriptores in scholis Mureto iudice et suasore legendos, quorum nonnulli admodum pauca huic consilio satis convenientia praebent, eum quosdam longe accommodatiores omisisse, mirum videtur. Quinctiliani nomen inter eos desideratur, cum tamen alio loco ejus lectionem juventuti utilissimam atque aptissimam recte judicaverit. Queritur enim\*), hunc scriptorem e scholis esse relegatum, his verbis: „Me puero magna cum cura exponebatur in „scholis Institutiones Oratoriae M. Fabii Quinctiliani, accurati admodum et exquisiti rhetoris, neque quisquam satis bonus dicendi magister habebatur, qui non in „illis vel praecipue auditores suos exercere solitus esset. Mutata postea ratio est: „cumque, annosis illis, et ipsa vetustate venerandis arboribus neglectis, succrevisent inutiles rami: juvenusque laboris fugitans, insulsos quosdam libellos, et „omnium prope liberalium artium, et omnium philosophiae partium dispendiosa „compendia pro pinguibus illis veterum latifundiis adamare coepisset; ex illo vidimus omnia

„In pejus ruere et retro sublapsa referri.”

„Neque ullum lapsis rebus certius remedium est, quam ut vetus illa consuetudo „revocetur, et, expulsis istis novitiis indoctae arrogantiae magistris, a priscis illis, „quos endo coelo, ut ita dicam, merita locarunt vera et solida eruditio repetatur.” Cur igitur scriptorem ibi tantopere probatum, non hic in scholas revocandum putavit? Primum, cum tirones censeret maxime profecturos esse, si in veterum lectione perpetuo Graecus cum Latino ejusdem argumenti conferretur, cumque Aristoteli rhetori jam praestantiorum Quinctiliano et digniorem addidisset comitem, Ciceronem, illum existimavit hic praetereundem. Deinde fortasse dubitavit conjungere cum Aristotele Quinctilianum, quem arguit locum quendam e lib. I. Rhetor. inepte expressisse, probans Ciceronis interpretationem ejusdem loci\*\*). Sed

\*) Var. Lect. XVIII, 20.

\*\*) Schol. in I, I, Rhetor.



plus valere debet illa gravis commendatio, quam haec omissio nominis et reprehensio unius loci falso explicati. Recipiendus omnino est Quintilianus in scholas, et secundum Ciceronem legendus. Hic enim praecepta rhetorices per dialogos dispersa, ille magis ad artis formam revocata proposuit. Quamquam Quintilianus orationis elegantia cedit Tullio, tamen verborum delectu, linguae simplicitate et integritate, sententiarum subtilitate praestat plerisque, qui interpretationi scholasticae apti habentur. Insuper nullus fere scriptor est, cujus lectio ad mores juvenum formandos sit accommodatior.

Quin etiam Ovidium nulla alia de causa in scholas introducere dubitavit, quam quod hoc quidem in genere Graecum ejus societate dignum reperire non potuit, etsi hunc poetam magna cum laude multis locis commemorat, quorum unum adscribere satis erit: „Ovidium etiam, cui praeter unum Virgilium, Latinorum nemo „par fuit, contemnere audent, seque ei antepone non verentur. Unus etiam, „ceteroqui homo eruditissimus, sed illo errore imbutus, Ovidii metamorphosin, di- „vinum poema, et omnibus ingenii, omnibus eloquentiae luminibus omni ex parte „collucens, in eum sermonem, quo vulgo nunc utimur, sibi convertendum curavit „ne si eam Latine scriptam attingeret, sinceritatem Latini sermonis, quam ex aliis „poetis hauserat, contaminaret \*).“

Erunt quoque, qui moleste ferant, inter scriptores in scholis legendos Lucianum a Mureto esse omissum. Id minime factum esse, quod ejus scribendi genus improbarit, ejusque lectionem linguam Graecam discantibus inutilem habuerit, arbitror. Jam enim anno MDLXX in Luciano Graece edito ab Aldo scripserat: „Nicolaus Majoranus, Episcopus Melfitanus, narravit mihi, Theodorum Gazam in- „terrogatum, quis scriptor legendus esset Graecam Linguam discere incipientibus, „respondisse, Lucianum: quis, ubi mediocres in ea progressus fecissent, Lucianum: „quis, ubi jam eam perfecte didicissent, Lucianum \*\*).“ Longe alia causa est, ob quam videtur repudiasse scriptorem, quem disertum quidem et urbanissimum \*\*), sed etiam impurum et improbissimum vocat †). Omnes enim aliae ejus virtutes

\*) Orat. I. II, 12, extr.

\*\*\*) Vol. IV, p. 566. Edit. Ruhnke.

\*\*\*) Var. Lect. VI, 5.

†) Var. Lect. XVIII, 16.

nihil valebant apud Muretum prae impia dicacitate et cavillatione, qua Lucianus religionem Christianam perstrinxit. Haec igitur severitas aetatis progressu magis magisque aucta non patiebatur scriptorem in scholas admittere, cujus lectio juventuti Christianae videbatur esse periculosissima et perniciosissima.

Quocumque enim se, naturae suae ductum secutus (adolescens) contulerit, dubitandum non est, quin ut longissime, antequam annorum illum numerum expleat, quem Lycurgus adamasse dicitur, quique solus post senarium intra centum perfectus est, talis in suo genere futurus sit, qualem in suo fuisse Roscium Cicero praedicat, qualem apud inferos esse Tiresian ait Homericus Ulysses: quem solum sapere dicit, ceteros umbrarum in morem vagari.

Annus, quem Lycurgus Mureto interprete adamasse dicitur, est vicesimus octavus, ut apparet e Plutarcho\*), qui narrat, senatores 30 initio Lacedaemone fuisse, sed Aristotelem putasse, hunc numerum ad 28 redactum esse, quod duo senatores incepta Lycurgi deseruissent; Plutarchus ipse existimat, fuisse quidem 28 senatores, sed adjunctis regibus duobus numerum 30 expletum esse. Praeterea laudat sententiam Sphaeri, quam Muretus secutus est, non plures, quam 28 a Lycurgo constitutos esse, cui opinioni non nihil probabilitatis eo accedere putat Plutarchus, quod hic numerus partibus suis paribus post senarium perfectus sit. Perfectus enim a veteribus dicebatur numerus, qui dividi potest in factores, ut vulgo loquuntur, qui computati numero diviso pares sunt. Factores numeri senarii sunt  $1 + 2 + 3 = 6$  et num. duodetrices.  $1 + 2 + 4 + 7 + 14 = 28$ . Quia autem numeri 6 et 28 intra centum soli sunt, in quos hoc convenit, hi etiam soli perfecti vocabantur. Quapropter Muretus his annorum numeris videtur curriculi scholastici terminos constituisse, nam ab anno aetatis sexto institutionem scholasticam incipiendam esse censuit, et ad annum duodetricesimum literarum humanitatis studium, si quis memorabile aliquid in eo praestare vellet, continuandum.

Annorum viginti duorum spatium, quod Muretus veterum scriptorum studio tribuit, aliis videbitur nimis longum, aliis nimis breve; alterum iis, qui Muretum discentes ad annum duodetricesimum in scholis et institutione puerili retinere vo-

---

\*) Vit. Lycurg. 5.

luisse; alterum iis, qui eum ab hac temporis brevitate consummatam et absolutam antiquitatis cognitionem, cui hominis vita vel longissima vix sufficit, expectasse opinantur. Sed Muretum ab utraque sententia abfuisse ipsius exemplum declarat, quippe qui decem annis fere minor jam praeceptoris munere functus sit, quique hocce studium nisi cum vita non deposuerit. Nam profecto ejus consilium minime fuit, institutionis scholasticae mora ac diuturnitate juvenes a literis, quibus olim publice profuturi essent, avocandi, cum ipse jurisprudenciam eos doceret, quorum plurimos ad annum vicesimum octavum nondum pervenisse verisimile est. Immo eos stabili et duraturo artium ingenuarum amore imbuere voluit, ut, ad quamcunque reipublicae partem e disciplina sua se contulissent, in ea, omnibus doctrinae praesidiis parati atque instructi, insigniori cum laude et utilitate elaborarent.